



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 78. Vtrum gratia sanctificans sit habitus realiter distinctus à virtutibus supernaturalibus, & præsertim à charitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

minatio est quædam apprehensio, qua, vt loquitur Augustinus, *apparet quod latebat*, subintelligit naturam, hoc est aliqua ratio boni excedens naturam, ideoque habet pro obiecto formali aliquid supernaturale.

25. Potest secundo quæri, vtrum primus actus, seu motus supernaturalis voluntatis ortus ex inspiratione Spiritus Sancti possit esse de obiecto purè naturali?

26. Respondeo negativè ex fundamento eiusdem primæ conclusionis. Explicatur. Nam per primum motum supernaturalem ex Augustino *fit suave quod non delectabat*, subintelligit naturam, adeoque voluntas incipit delectari de aliqua ratione boni excedente naturam, & apparet per illuminationem Spiritus Sancti.

27. Addo primo, quod dum dicitur fides esse principium totius meriti, & totius salutis, id intelligendum est de fide inchoata, hoc est prima cogitatione supernaturali, quæ non potest cadere sub vllum meritum, neque de congruo, neque de condigno. Addo secundo Deum, qui vt dicitur Ioan. 1. illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, omnibus habentibus vsum rationis regulariter, cum ad illos pervenit aliqua notitia, vel fama Evangelij, & aliquando etiam si non pervenerit vlla notitia Evangelij, dare aliquam illuminationem supernaturalem, & infundere aliquam amorem simplicem boni supernaturalis, & hanc esse primam gratiam supernaturalem prævenientem, quam Deus in nobis sine nobis liberè operantibus producit, per quam potest homo liberè se disponere ad vltiorem gratiam, ad iustificationem, & ad salutem. De hac prima gratia intelligendum est axioma, *facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*. Sensus est: facienti quod in se est ex viribus gratiæ supernaturalis, & prævenientis, quam Deus non negat vlli habenti vsum rationis, Deus non denegat vltiorem gratiam vsque ad iustificationem, & salutem. Quicumque igitur non iustificatur, & non saluatur, ideo non iustificatur, & non saluatur, quia non facit quod in se est ex viribus gratiæ prævenientis.

28. Quæritur, an sit verum, quod facienti quod in se est ex viribus naturæ, Deus non denegat gratiam supernaturalem.

29. Respondeo, quod si sensus sit, quod Deus gratiam supernaturalem non dat adulto, nisi facienti quod in se est ex viribus naturæ, axioma est falsum, & Semipelagianum, ac facit gratiam pedissequam naturæ. Secundo est falsum, si asseratur, quod facere quantum in se est ex viribus naturæ possit esse meritum, vel dispositio per se conducat ad gratiam supernaturalem. Tertio falsum etiam existimo, quod Deus fecerit pactum cum Christo Domino dandi specialiter gratiam supernaturalem facienti quod in se est ex viribus naturæ. Solum ergo est verum, quod Deus ex meritis Christi Domini omnibus adultis habentibus

vsum rationis, seu faciant, seu non faciant quod in se est ex viribus naturæ, dat aliquam gratiam supernaturalem alicuius illuminationis, & inspirationis, ex cuius gratiæ viribus, si faciant quod possunt, obtinebunt vltiorem gratiam vsque ad iustificationem, & ad salutem inclusivè, itaut non damnentur, nisi quia non faciunt quod in se est ex viribus gratiæ supernaturalis.

QVAESTIO LXXVIII.

Verum gratia sanctificans sit habitus realiter distinctus à virtutibus supernaturalibus, & præsertim à charitate?

S. Tho. 1. 2. quæst. 110. artic. 1. 2. 3. 4.

1. **P**rimo videtur gratia sanctificans non distingui, non solum realiter, sed ne formaliter quidem à charitate, vt indicat Durandus in 2. dist. 26. quæst. 1. Nam gratia sanctificans est, quæ constituit Deo gratum, charitas est, quæ constituit Deo charum; sed idem formaliter est hominem esse Deo gratum, atque esse Deo charum; ergo gratia, & charitas sunt idem etiam formaliter, ac per intellectum, & sunt duo nomina synonyma.

2. Secundo videtur gratia sanctificans solum formaliter, & ratione nostra, non autem realiter distingui ab habitu charitatis, vt docuerunt Richardus, Scotus, & Gabriel in 2. dist. 26. Alensis 3. part. q. 61. memb. 2. art. 4. Vega l. 7. in Trident. cap. 25. Bellarminus l. 1. de gratia, & lib. arb. cap. 6. & alij, quos refert Suarez l. 6. de gratia, cap. 11. quos etiam sequitur P. Sparza quæst. 5. de Iustificat. & alij recentiores. Vt enim arguit Bellarminus loco citato quicquid de gratia dicitur, illud ipsum Scriptura, & Patres tribuunt charitati: ergo gratia, & charitas idem sunt. Probatur antecedens, afferendo ea, quæ dicuntur de gratia, & ostendendo, quod à Scriptura, & PP. tribuantur charitati.

3. Primo gratia dicitur dare homini esse quoddam supernaturale, per quod nascatur ex Deo, fiat filius adoptivus, nova creatura, & diuinæ consors naturæ; sed hæc in Scriptura tribuuntur charitati: nam 1. Io. 3. dicitur. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus*; & cap. 4. *omnis qui diligit, ex Deo natus est, si autem ex Deo natus est, procul dubio factus est consors naturæ diuinæ, & nova creatura*; ergo &c. Secundo per gratiam dicimur coniungi, & adhærere Deo, manere in Deo, & Deus in nobis; sed prima Io. 4. hæc tribuuntur charitati, ac dicitur, *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet*; ergo &c. Tertio proprium gratiæ est facere hominem Deo gratum, & à Deo dilectum; sed charitas ex Scriptura facit hominem Deo dilectum: nam Prou. 8. Deus dicit, *ego diligentes me diligo*, & Io. 14. *qui diligit me,*

diligetur à Patre meo; ergo &c. Quarto gratia dicitur esse vita animæ, carentia gratiæ dicitur mors animæ; sed etiam charitas in Scriptura dicitur vita animæ, & carentia charitatis mors animæ; nam prima Io. 3. dicitur *qui non diligit, manet in morte, & nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres*; ergo &c. Quinto gratia est donum Dei omnium maximum, ideoque 2. Petri 1. dicitur: *Maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini diuina confortes naturæ*; sed charitas ex Apostolo est donum maximum; nam 1. ad Corint. 12. charitatem antepovit omnibus alijs donis, & ad Colos. 3. dicit: *Super omnia charitatem habere, quod est vinculum perfectionis*, ideoque Augustinus l. 15. de Trin. cap. 18. loquens de charitate dicit: *Nullum est isto dono excellentius; & serm. 50. de Verbis Domini: Charitatem adde, profunt omnia; detrahe charitatem, nihil profunt cetera. Quale bonum est charitas fratres? quid pretiosius? quid luminosius?* ergo &c. Sexto gratia est, per quam iustificamur à peccatis; sed Luc. 7. dicitur, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; ergo iustificatio, & remissio peccatorum tribuitur charitati. Septimo gratia dicitur fons, & radix omnium virtutum; sed etiam charitas ex Scripturis, & PP. est fons, & radix omnium virtutum; nam 1. ad Corint. 13. dicitur, *Charitas patiens est, benigna est, omnia credit, omnia sperat*, & ad Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio*, & S. Gregorius hom. 27. in Euang. dicit charitatem esse radicem omnium operum honorum, & S. Prosper l. 3. de vita contempl. dicit charitatem esse vitam virtutum, & mortem vitiorum; ergo &c. Octavo gratia est, quæ separat filios regni à filijs damnationis; sed Augustinus l. 15. de Trin. dicit: *sola charitas diuidit inter filios regni, & filios damnationis eterna*; ergo &c. Nono gratia est, per quam efficiuntur verè iusti coram Deo; sed ex Augustin. de nat. & grat. cap. 42. *charitas est verissima, & plenissima, perfectissimaque iustitia*; ergo &c.

4. Secundo Tridentinum sess. 6. cap. 7. agens ex professo de causa formali nostræ iustificationis dicit: *Vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit*; & infra magis explicans hanc causam formalem, principaliter illam constituit in charitate, & nullam mentionem facit gratiæ sanctificantis distinctæ à charitate, dicens: *Quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicentur, id tamen in hæc impij iustificatione fit, dum eiusmodi sanctissimæ passionis meritis per Spiritum Sanctum gratia Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificuntur, atque ipsis inhaeret: unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*; sed si causa formalis nostræ iustificationis principaliter consisteret in gratia sanctificante distincta à fide, spe, & charitate, valde mutila fuisset

doctrina Concilij, si nullam eius mentionem fecisset, ac solum memorasset fidem, spem, & charitatem; ergo concilium inclinavit in sententiam, quæ docet gratiam sanctificantem non distingui à charitate.

5. Tertio si gratia distingueretur à charitate, posset ab illa separari; sed non potest separari, alioquin posset aliquis esse sanctificatus ac Deo gratus sine charitate, quod repugnat Apostolo 2. ad Corint. 13. dicenti: *Si charitatem non habuerit, nihil sum, nihil mihi proderit*; ergo &c.

6. Quarto si esset necessarius habitus gratiæ distinctus ab habitu charitatis, & aliorum virtutum supernaturalium, esset necessarius in ordine ad exercendas operationes supernaturales, & meritorias vite æternæ: siquidem omnis habitus ordinatur ad operationes habitus charitatis, & virtutum supernaturalium sufficienti ad exercendas omnes operationes supernaturales; ergo &c.

7. Respondeo duas esse præcipuas sententias. Prima auctorum relatorum in prima & secundo argumento docet gratiam distingui à parte rei à virtutibus per se iustis & præsertim à charitate. Ex his auctoribus Durandus videtur insinuare gratiam, & charitatem, neque ratione distingui; alij contra dicunt distingui ratione, & per intellectum dicunt, quod eadem qualitas, in quantum ad hominem gratum Deo, dicitur gratia quantum illum disponit ad exercendas operationes supernaturales, præsertim diligendi Deum dicitur virtus, puta charitas.

8. Secunda sententia Sancti Thomæ quæst. 110. art. 2. & 3. contra gentes, q. 150. 151. & alibi, quem sequuntur etiam Thomistæ, nimirum Caietanus, Ferrarius, Corradus, Medina in Comment. eorum, & latè Sotus l. 2. de nat. & grat. cap. 18. nec non Ægidius, Argentina, Albertus, S. Bonaventura, quos refert, & sequitur Suarez l. 6. de gratia, cap. 12. & Valentini tom. 2. disput. 8. quæst. 2. & alij, docet gratiam non solum ratione nostra, sed etiam à parte rei distingui à charitate. Ex his aliqui dicunt gratiam, & charitatem distingui solum formaliter ex natura rei, alij asserunt distingui aliter, Valquez 1. 2. disput. 198. relata ad quæ sententia, tum quæ affirmat, tum quæ negat distingui à charitate, capite 3. concludit neutram nisi satis solida ratione, quæ soluit fundamenta vtriusque, & quæstionem relinquit indecisam.

9. Dicendum primo: gratia sanctificante est qualitas supernaturalis permansens inrens animæ, distincta realiter ab habitu charitatis, & aliarum virtutum; Probatur præsertim iuxta sententiam, quæ docet potentias naturales distingui ab anima. Nam iuxta illam opinionem potentia naturales non dant remota suam naturam iam habere suum esse naturæ, ordinant illam ad exercendas operationes

proportionatas suæ naturæ: ergo potentia supernaturales non debeat dare rei primum esse supernaturale, ac diuinum, sed supponentes rem iam habere primum esse supernaturale, ac diuinum, debent illam ordinare ad exercendas operationes conuenientes tali esse supernaturali, ac diuino; sed habitus charitatis, & aliarum virtutum supernaturarum, sunt potentia supernaturales; vt dictum est q. 71. ergo habitus charitatis, & aliarum virtutum supernaturalium non dant primum esse supernaturale, sed supponunt Angelum, & animam rationalem iam habere primum esse supernaturale, & illos ordinant ad exercendas operationes supernaturales conuenientes tali esse; sed nomine gratiæ sanctificantis intelligimus illam formam, per quam Angeli, & animæ rationales primò habent esse supernaturale, ac diuinum, & primò sunt confortes diuinæ naturæ iuxta illud 2. Petri, primò: *Maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hac efficiamini diuina confortes naturæ*; ergo gratia sanctificans distinguitur ab habitibus charitatis, & aliarum virtutum.

10. Hæc ratio, qua vtitur S. Thomas 1. 2. quæst. 110. art. 3. desumpta est ex S. Dionysio l. de Eccl. Hier. cap. 2. vbi loquens de statu supernaturali, ac diuino gratiæ, dicit. *Si enim diuinus hic status, diuina naturitas est, nunquam ille aliquid sciet ex his, qua à Deo tradita sunt, neque operabitur, qui diuinum hunc statum consequutus non est. An verò nobis quoque ipsis non dicimus prius esse necessarium humane vite statum, vt sic demum humana possimus operari? & concludit: Vnumquodque ea solum agit, ac patitur, qua substantia, statumque sui sint*; ergo Dionysius ex eo quod prius debemus constitui in statu naturali hominis, deinde debemus accipere potentias operandi ea, quæ conueniunt homini, probat nos prius debere constitui in statu supernaturali, ac diuino gratiæ, deinde debere accipere potentias exercendi operationes supernaturales, ac diuinas illi statui conuenientes.

11. Probatur secundo conclusio etiam iuxta sententiã, qua docet potentias animæ identificari cum anima. Nam primum esse naturale hominis, aut Angeli e. g. non consistit in aggregato plurium potentiarum distinctarum, neque in vna tantum potentia, sed in forma, quæ cum sit vna, est principium radicale vniuersale omnium operationum, quæ conueniunt naturæ; e. g. primum esse naturale hominis, aut Angeli non est vna tantum potentia, puta solus intellectus, vel sola voluntas, neque aggregatum plurium potentiarum distinctarum, puta aggregatum intellectus, & voluntatis, sed est anima, vel natura angelica, quæ cum sit vna, est forma vniuersalis, & principium saltem radicale omnium operationum humanarum, quæ forma vel distinguitur ab omnibus potentijs, vel cum omnibus indiuisim identificatur; ergo etiam primum esse supernaturale, & diuinum non consistit in aggregato plurium virtutum, & potentiarum,

distinctarum, puta in aggregato fidei, spei, charitatis, & virtutum moralium, neque in vna tantum potentia, puta in charitate, sed in forma vniuersali, quæ cum sit vna, est principium vniuersale radicale omnium operationum supernaturalium, & diuinarum; sed si gratia sanctificans, quæ primo dat esse diuinum, & supernaturale, identificaretur cum fide, spe, charitate, & habitibus infusis inuicem distinctis, primum esse supernaturale consisteret in aggregato plurium potentiarum supernaturalium mutuo distinctarum; si identificaretur cum sola charitate, consisteret in vna tantum potentia; ergo gratia distinguitur ab habitu charitatis, & aliarum virtutum supernaturalium.

12. Probatur tertio ex Concilijs. Concilium Viennense sub Clemente V. in Gallijs celebratum, & refertur Clementina vnica de summa Trinit. ac de Fide Cath. relatis duabus opinionibus Theologorum circa infusionem gratiæ in baptismo, eligit secundam dicens. *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit tam paruulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorẽ, & dictis Sanctorum, & Doctorum modernorum Theologiæ magis conformem, & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam*; ergo loquitur de gratia, tanquam de habitu distincto à virtutibus. Eandem distinctionem insinuat Tridentinum sess. 6. cap. 7. vbi loquens de iustificatione, dicit: *Quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*; ergo insinuat gratiam distingui à donis, sub quibus comprehenduntur habitus virtutum; & eadem sess. 6. can. 11. dicit: *Si quis dixerit homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate &c. anathema sit*; ergo iudicat gratiam distingui à charitate.

13. Quarto probari potest ex Dionysio loco allato in prima probatione; & potest confirmari ex alijs Patribus, qui videntur posuunt apud Suarez lib. 6. de Gratia cap. 12.

14. Infertur primo gratiam sanctificantem esse quandam participationem diuinæ naturæ, seu quandam Deitatem participatam, iuxta illud 2. Petri 1. *Maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hac efficiamini diuina confortes naturæ*; & quia qui participat Deitatem, seu naturam diuinam est Deus per participationem, & qui procedit à Deo in similitudinem naturæ procedit vt filius, ideo qui præditus est gratia sanctificante est Deus per participationem, & est filius Dei, iuxta illud Psal. 81. *Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes*; Ioan. 1. *Dedit illis potestatem filios Dei fieri*; ad Rom. 8. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*; 1. Ioan. 3. *Nunc filij Dei sumus*. Rursus quia qui per suam naturam non est filius, & constituitur filius per gratiam, est filius adoptiuus, ideo qui ha-

bent

bent gratiam sanctificantem, sunt filij adoptiui Dei, atque illis dicitur ad Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis*. Similiter quia qui adoptatur in filium accipit ius ad hereditatem, & ad regnum patris, hereditas autem, & regnum Dei consistit in possessione omnium bonorum, ideo gratia sanctificans ad Ephes. 1. vocatur pignus hereditatis, & qui habent gratiam sanctificantem, habent ius ad hereditatem, & ad regnum Dei, hoc est ad beatitudinem, quæ consistit in possessione omnium bonorum; & idcirco ad Rom. 8. dicitur, *si filij, & heredes*; 2. ad Tim. 2. *si sustinebimus, & conregnabimus*, & Christus Luc. 22. dixit: *Ecce ego dispono vobis, sicut disposui mihi Pater meus, regnum*. Præterea quia qui procedit vt filius dicitur generari, & nasci, ideo cum accipimus gratiam, dicimur ex Deo generari, & nasci, iuxta illud Io. 1. *Ex Deo nati sunt*: Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*; nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex Spiritu Sancto est: 1. Io. 2. *Omnis qui facit iustitiam ex ipso natus est*: 1. Io. 3. *Omnis, qui natus est ex Deo*; & eadem Epist. cap. 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est; omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum*. Rursus quia qui accipit nouum esse, & nouam naturam supernaturalem, fit nouus homo, & noua creatura, & 2. ad Corint. 5. dicitur: *in Christo noua creatura*, ad Gal. 6. *In Christo enim Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura*; ad Eph. 4. *Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis*. Demum quia ille solus, qui habet esse supernaturale, & diuinum, verè est, ideo Paulus 1. ad Corint. 15. dicit: *Gratia Dei sum id, quod sum*.

15. Inferitur secundo gratiam sanctificantem esse quandam naturam supernaturalem. Ratio est, quia sicut quod dat primum esse naturale, & est primum principium intrinsecum se mouendi motibus naturalibus, est natura propriè dicta, sic quod dat primum esse supernaturale, & est primum principium intrinsecum se mouendi motibus supernaturalibus, est quædam natura supernaturalis. Gratia tamen sanctificans non est forma substantialis, sed accidentalis, ideoque est quædam natura accidentalis. Ratio est, quia forma, quæ non subsistit per se, sed debet inesse alteri iam completo in ratione substantiæ, non est substantialis, sed accidentalis; sed gratia sanctificans non subsistit per se, sed debet inesse homini, vel Angelo iam completis in ratione substantiæ; ergo &c.

16. Inferitur tertio gratiam sanctificantem proportionaliter se habere ad habitus virtutum infusam, ac natura se habet ad suas potentias, proprietates, & dispositiones. Probat: nam sicut natura dat primum esse naturale, ex quo sequuntur proprietates naturales, & ante quod præcedunt dispositiones natura-

les, sic gratia dat primum esse supernaturale, & diuinum, ex quo sequuntur habitus, & potentie supernaturales, & ad quod disponunt dispositiones supernaturales.

17. Inferitur 4. quid sit dicendum in questione, in qua queritur, vtrum gratia sanctificans recipiatur immediatè in ipsa natura, vel substantia Angeli, vel animæ rationalis, an potius recipiatur immediatè in potentijs, nimirum intellectu, & voluntate? S. Thomas, ab alijs auctores, qui dicunt gratiam distinguere à charitate & à virtutibus per se infusis, excepto Sancto Bonauentura, docent gratiam recipi immediatè in sola natura, & substantia animæ. At S. Bonauentura in 2. dist. 26. quæst. licet fateatur gratiam distinguere à charitate, & à alijs virtutibus per se infusis, nihilominus existimat gratiam recipi immediatè, non in ipsa animæ substantia, sed in voluntate, & est potentia accidentalis. Dicendum gratiam sanctificantem recipi immediatè in ipsa substantia, & natura animæ rationalis, vel Angeli. Probat: nam gratia ordinatur ad hoc, eleuet naturam ad esse supernaturale, & eleuetur; ergo debet immediatè recipi in ipsa natura, quam eleuat; at habitus virtutum, & ordinentur ad hoc, vt eleuentur potentias exercendas operationes supernaturales, & virtutes, debent recipi in potentijs, quas eleuantur; puta fides, & lumen gloriæ, quia eleuantur intellectum, debent recipi in intellectu, charitas, & virtutes morales, quæ eleuantur voluntatem, debent recipi in voluntate; ergo.

18. Sanctus Bonauentura opponit Augustinum, qui serm. 12. de verb. Apostoli dicit gratiam sanctificantem comparari ad liberum arbitrium, sicut fessor comparatur ad equum: ergo gratia sanctificans recipiatur in libero arbitrio, adeoque in voluntate.

Respondeo Augustinum non aliter gratiam esse in libero arbitrio, sed Spiritum Sanctum per gratiam residere in homine, sicut fessor in equo, vt patet ex eius verbis, quæ sunt; *Sentis te habere fessorem, sentis te habere equum. Sentio, inquis. Dic ergo illi; gressum dirige secundum verbum tuum*; ergo ex Augustino sicut eques insidens substantiæ equi, frenum regit, ac dirigit potentiam ambulandam, & gradiendum, Spiritus Sanctus per gratiam insidens substantiæ animæ, per habitus, & auxilia, quasi per aureum frenum, & per aurea calcarea diriguntur, mouet potentias animæ, intellectum nimirum, & voluntatem ad exercendas operationes supernaturales, & diuinas.

19. Ad primum nego maiorem, ac reuocuo argumentum, & ostendo gratiam, & Charitatem saltem formaliter, & ratione sua distingui. Gratia enim sanctificans est conceptu formali est qualitas, per quam homo accipitur ad diuinam amicitiam, & est Deo gratus, & charus, ac filius adoptiuus Dei; charitas est habitus, quo homo conuenitur amatiuus Dei amore filiali, & amicitiam

sed aliud formaliter est hominem acceptari ad diuinam amicitiam, & filiationem, ac reddi Deo gratum, & charum, aliud, quod idem homo habeat habitum, quo possit Deum amare amore filiali, & amicitia; ergo gratia, & charitas distinguuntur saltem formaliter, & ratione nostra. Charitas igitur est habitus, non quo homo fit Deo passivè charus, & dilectus à Deo, sed quo homo fit activè dilectus Dei, ac Deus fit charus, & dilectus homini.

20. Ad secundum distingo antecedens: quicquid dicitur de gratia, Scripturæ, & Patres tribuunt charitati formaliter, nego; tribuunt charitati connexivè, & convertibiliter, concedo; & nego consequentiam. Gratia, & charitas habent mutuam connexionem, siquidem quicumque habet gratiam, habet charitatem, & e converso. Propter hanc connexionem, quæ tribuuntur gratiæ, tribuuntur charitati, non formaliter, sed connexivè, ut iam patebit, percurrendo loca Scripturæ, & PP. que opponuntur. Primo dum dicitur: *Videntes, qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filij Dei nominemur, & simus*, non est sermo de charitate creata, qua nos Deum diligimus, sed de charitate increata, qua Deus nos diligit, & sensus est Deum tali amore nos dilexisse, ut voverit per gratiam nos nominari, & esse filios Dei. Dum dicitur, *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est*, significatur, quod diligens natus est ex Deo, non per ipsam dilectionem, sed per gratiam, ex qua sequitur dilectio. Proportionaliter dici posset, *omnis, qui ridet, homo est*, non quia sit homo formaliter per hoc, quod rideat, sed quia qui ridet supponitur esse homo, siquidem risus soli homini potest convenire. Secundo dum dicitur, *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in te*, significatur, quod Deus est charitas, non quidem activa, & creata, qua nos diligimus Deum, sed respectu nostri passiva, & increata, qua nos diligimur à Deo, & per consequens, quod qui manet in hac charitate passiva, qua diligimur à Deo, & quæ charitas est ipse Deus, manet in Deo; sed nos manemus in charitate passiva, qua diligimur à Deo, per gratiam, per quam recipimur in diuinam amicitiam, & non probatur, quod in hac charitate passiva manemus formaliter per ipsam charitatem activam, qua diligimus Deum; ergo non probatur charitatem activam identificari cum gratia. Tertio dum dicitur, *Ego diligentes me dilige, & qui diligit me, diligitur à Patre meo*, significatur solum dilectionem activam, qua diligimus Deum, esse connexam cum passiva, qua diligimur à Deo, non autem significatur, quod cum illa identificetur, imo potius inferatur distinctio. Dicitur enim, *qui diligit, diligetur*; ergo significatur dilectionem præcedere, & disponere ad gratiam, qua constituimur formaliter Deo dilecti. Quarto dum dicitur, *qui non diligit, manet in morte*, significatur, quod carentia charitatis est connexa cum morte animæ, non autem quod carentia charitatis

fit formaliter ipsa mors animæ, quæ mors consistit formaliter in carentia gratiæ. Proportionaliter dici posset, *qui caret calore vitali, manet in morte, sicut est mortuus*, non quia mors formaliter sit carentia caloris vitalis, siquidem formaliter est separatio animæ à corpore, sed quia carentia caloris vitalis est connexa cum morte. Rursus dum dicitur, *nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres*, significatur dilectionem esse connexam cum iustificatione, sicut dici posset, *scimus hunc resuscitatum, adeoque translatum de morte ad vitam, quia habet calorem vitalem, & exercet operationes vitales*, licet resuscitatio non consistat formaliter in hoc, sed consistat in reunionem animæ cum corpore. Quinto Apostolus dum charitatem præfert cæteris donis, præfert illam fidei, spei, & cæteris habitibus virtutum, ac non loquitur de gratia, quæ per modum naturæ est radix virtutum. Similiter dum dicit: *super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, hortatur ad exercendos actus charitatis præ alijs actibus virtutum, quia actus charitatis est vinculum perfectionis, & est observantia totius legis, & omnium præceptorum. Augustinus dicens charitatem esse maximum donorum, loquitur de charitate activa simul, & passiva, qua non solum diligimus Deum, sed etiam sumus Deo dilecti, & chari, quæ includit gratiam sanctificantem. Sexto dum dicitur, *remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, significatur, quod dilectio præcessit remissionem peccatorum, adeoque quod non est formalis remissio, sed dispositio præcedens remissionem, ut magis explicabitur infra. Septimo diverso modo gratia dicitur fons, & radix virtutum, diverso modo charitas. Gratia dicitur fons, & radix omnium virtutum, quia omnes virtutes ex gratia, tanquam ex radice emanant; at charitas dicitur fons omnium virtutum, quatenus per suum obiectum formale movet ad imperandos actus omnium virtutum. Charitas igitur patiens est, benigna est &c. quia qui Deum diligit ex motivo charitatis, patiens est, benignus est, & imperat actus omnium virtutum. In eodem sensu plenitudo legis est dilectio, quia qui diligit Deum, ex motivo dilectionis vult observare totam legem, ne Deo dilecto displiceat. In eodem sensu Prosper dicit charitatem esse vitam omnium virtutum, & mortem omnium vitiorum, quia qui Deum diligit, ex motivo dilectionis imperat actus omnium virtutum, & vitat actus omnium vitiorum. Octavo charitas dividit inter filios Dei, & filios damnationis, quia qui habet charitatem, cum habeat etiam gratiam, est filius Dei, qui caret charitate, cum careat etiam gratia, est filius damnationis. Nonno nomen iustitiæ significat æqualitatem, ideoque iustitia est quædam æquatio cum sua regula, & mensura potest considerari. Prima est finis ultimus; secunda est lex ordinans naturam rationalem ad finem ultimum.

timum. Proportionaliter duplex potest considerari iustitia, & adæquatio naturæ rationalis cum sua regula, & mensura. Prima est adæquatio naturæ rationalis cum suo ultimo fine, & in hoc sensu iustitia supernaturalis est gratia sanctificans, per quam natura rationalis constituitur adæquata, & apta ad suum ultimum finem supernaturalem, qui est Deus immediatè visus. Secunda est adæquatio cum lege supernaturali, & in hoc sensu iustitia supernaturalis est charitas, quæ cum sit observantia totius legis supernaturalis, est adæquatio cum tota lege supernaturali. Augustinus igitur dum dicit, quod charitas est verissima, plenissima, & perfectissima iustitia, dicit, quod charitas est iustitia, in quantum iustitia est adæquatio cum lege. Ex hoc autem non sequitur, quod charitas sit iustitia, per quam formaliter constituimur verè iusti coram Deo, hoc est verè apti ad consequendum Deum nostrum ultimum finem supernaturalem; nam talis iustitia consistit in gratia, quæ est radix charitatis, & participatio diuinæ naturæ, vt explicatum est.

21. Ad Tertium respondeo, quod Concilium Tridentinum licet noluerit definire distinctionem gratiæ à charitate, tamen illam insinuauit, dum dixit iustificationem fieri per infusionem gratiæ, & donorum, & dum Can. 11. damnauit eos, qui dicebant homines iustificari sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate; ergo non tradidit doctrinam mutilam de iustificatione, siquidem etiam gratiæ fecit mentionem.

22. Ad quartum nego sequelam. Iuxta communem sententiam multorum anima, & eius potentiæ spirituales sunt mutuo inseparabiles, & tamen distinguuntur; ergo etiam gratia, & charitas possunt esse mutuo inseparabiles, & nihilominus distingui.

23. Ad quintum gratia distincta à charitate est necessaria, vt sit natura quædam spiritalis vna, non consistens in aggregato plurium potentiarum, neque in vna tantum potentia, sed in radice omnium potentiarum, & habituum supernaturalium, vt explicatum est supra. Dum opponitur, quod omnis habitus ordinatur ad operationes, distingo; ordinatur ad operationes solum vt principium immediatum, nego; vt principium etiam radicale potentiarum, concedo. Sanitas animalis ex doctrina Aristotelis est quidam habitus receptus, non in potentijs, sed in ipsa substantia animalis, qui proinde non est principium immediatum operandi, sed perficit immediatè ipsam substantiam; ergo etiam gratia potest esse habitus perficiens, & eleuans ipsam naturam, eamque reddens aptam ad suum finem supernaturalem.

QVÆSTIO LXXIX.

Virum præter gratiam sanctificantem, virtutes infusas dentur etiam dona Spiritus Sancti, quæ sint habitus supernaturales distincti à virtutibus?

S. Thom. 1. 2. quæst. 68.

1. **V**identur dona Spiritus Sancti non esse habitus permanentes, sed qualitates transeuntes: primo quia habitus permanentes regulariter dantur solum ad ordinatum modum operandi, ad modum autem operandi extraordinarium, & rarum, dari solent qualitates solum transeuntes, ideoque prophetia vt plurimum non datur per modum habitus permanentis, sed per modum qualitatis transeuntis, vt dictum est supra, agendo de gratis gratis datis; sed dona Spiritus Sancti ex speciali instinctu mouentur ad actus extraordinarios, & qui raro fiunt, ergo &c.

2. Secundo habitibus vtimur, cum volumus; sed donis Spiritus Sancti non vtimur, cum volumus, siquidem eorum vsus potest ex speciali instinctu Spiritus Sancti; ergo &c.

3. Tertio habitus infusi dantur ad ordinatum modo ordinario; sed dona Spiritus Sancti dantur ad agendum modo extraordinario per extraordinarium instinctum Spiritus Sancti; ergo &c.

4. Quarto neque ex Scriptura, neque Patribus colligitur dari dona Spiritus Sancti quæ sint habitus per se infusi distincti à virtutibus; ergo &c.

5. Quinto si dona Spiritus Sancti essent habitus permanentes, conueniret illis dicitur virtutis; ergo non possent distinguuntur a virtutibus per se infusis. Probatur antecessè virtus enim ex Aristotele est habitus, qui bonum habentem, & eius opus bonum reddit; ergo si dona Spiritus Sancti essent habitus, qui redderent bonum habentem, & opus eius bonum redderent; ergo essent virtutes; sed etiam essent habitus per se infusi; ergo essent virtutes per se infuse, ac proinde non distinguuntur à virtutibus per se infusis.

6. Respondeo Isaiã cap. 11. prophetam de Christo dicere: *requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus Consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & timoris, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Sensus est, quod Spiritus Sanctus requiescat super Christum, illique conferet septem perfectiones, & septem dona, quæ sunt sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, & timor Domini, quæ dona, quæ inspirantur à Spiritu Sancto, & disponuntur in eum, in quo sunt, vt moueatur à Spiritu Sancto, vocantur *spiritus*, vt explicat N. de...